Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2771
Quelle:
Copyright:

Concludit:

Non augentur momento ſecula,
Non maria tumeſcunt guttula;
Nec vlla laus addere meritis
Tuis vnquam poterit inclitis,
Wlgi tamen modica portio
De te ſaltem clangere geſtio
Viuat viuat orbi perutilis
Cui non fuit inuentus ſimilis.

Tertiae Partis non niſi Titulus adeſt in margine: *Tenor.* Pauca ſupereſſe putem hujus generis ſpecimina Seculis quatuor anteriora, dolendumque, *Modulos* muſicos, quibus Rhythmi hi adſtricti fuerint, intercidiſſe.

XXXVII. *fol.* 158. *Incipit Reſponſio facta nuncijs ſeu Ambaſſiatoribus Romanorum per ſanctiſſimum patrem et dominum noſtrum dominum Clementem diuinà prouidentia papam ſextum in Ciuitate Auinionen. Anno domini M. CCC. XLIII. die XXVII. menſ. Jan. quam reſponſionem ego frater bernardinus de urbeueteri fratrum heremitarum ord. ſancti Auguſtini ſolum audiendo in publico conſiſtorio ſupradictum Sanctiſſimum patrem et dominum noſtrum michi pro tunc ſcribendo collegi et fideliter reportaui. Propoſuit in chriſto ſanctiſſimus pater et dominus noſter Auctoritatem iſtam et proceſſit ut inferius ordinatur.* E-VI. *Vitis Clementis*, quas publicavit *Baluzius*, ea, quae ordine *Tertia* eſt, plenius de hoc agit negotio *col.* 286. Cives *Rom.* videlicet XVIII. ablegatos, interque eos Oratorum munere functos *Steph. de Columna*, *Franc. de Vico* et *Lellum Petri Stephani de Choſecis;* Papam poſt duos menſes reſpondiſſe, et grate quidem, *praeterquam ad viſitationem urbis*, quo invitabatur, *quam multis et coloratis rationibus prolongavit, vel verius denegavit.* Quae omnia videre eſt in *Reſponſione* noſtra, cujus et Autor *Vitae* illius meminit, et *Baluzius* principium excerpſit in *Not. col.* 862. Atque utinam, ut in acceptandis Urbis officiis (*Senatum*, *Capitaneatum*, *Conſulatum* et *Defenſoratum* vocat *Reſponſio*) et *Iubileo* ad annum L. reſtringendo *Romanorum* votis obſecundavit *Clemens*, ita et deſerta Patria Sedem ſuam legitimam acceſſiſſet! felicius, ut opinor, funeſta illa Sacerdotium inter et Imperium diſcordia compoſita fuiſſet. Quam varia ceterum, eaque partim ἀνέκδοτα ad ejus Vitam et Acta contineat hic Codex, vix eſt, quod moneam.

DCCLIX.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 207. 4. per duas columnas nitide ſcriptus, rubricisque enotatus *Sermones* complectitur *Gilberti*, *Giſleberti*, *Guiberti* ſeu *Wiberti de Tornaco* O. M. Theologi *Pariſini* et Oratoris poſt medium Sec. XIII. celebris, quibus ipſe ita praefatur: *Executis inſpirante domino ſex partibus ſecundi tractatus cuius eſt titulus* 539

de